



Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Ab Alexandro VII. Ad Clementem X.

Luxemburgi, MDCCXLII.

XX. Confirmatio Congregationis super statu Regularium, ejusque
facultatum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74833](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74833)

tam in spiritualibus univerſi Orbis Chriſtiani, quam in temporalibus noſtræ Ditionis, aliſque negotiis, & rebus quibuſcumque Romani Pontificis utri & cuncta ſedulo adminiſtrare conſueverunt amplioribus privilegiis, & gratiis completi, & communire, præque aliis facultates, & privilegia teſtandi, & diſponendi de bonis, ac Juribus ab ipsis dum vivant, quomodolibet acquiſitis à bonis, redditibus, emolumentis, & Juribus Eccleſiaſticis, eiſdemque in illis ſuccedendi, tam ſuæ dignitatis intuitu, quam in laborum congruam remunerationem per Sedem Apoſtolicam hæcenus ſolitam concedi, gratioſè ampliari, & ad fructus etiam inconſumptos, vel cum aliis ipſorum bonis non commixtos, de quibus antehac nullo modo diſponere poterant, extendere.

Extenſio de qua in rubr.

§. 1. Motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, & ex mera noſtra, & Sedis Apoſtolicæ liberalitate, qua prædictos S. R. E. Cardinales proſequi volumus, privilegia, & facultates teſtandi prædictorum Cardinalium ad illos etiam fructus extendimus, & ampliamus, qui ſi naturales ſint, à ſolo in quo ſunt producti legitime juxta rei naturam fuerint ſublatis, & à manibus Colonorum, vel aliorum quorumcumque debitorum percepti, licet in horreis Eccleſiarum, vel in quovis alio loco adhuc inconſumpti, vel nullo modo aliis ipſorum Cardinalium Bonis immixti, aut eorum patrimonio incorporati, reperiuntur. Si verò civiles ſint, poſtquam dies ſolutionis advenerit, fuerint per quocumque debitores quomodolibet perſoluti, & ad manus Cardinalium, vel ad eorum Miniſtros pervenerint, ſeu in aliquo loco publico ad eorum creditum fuerint depositati, quod etiam ſervari volumus in terminis quomodolibet debitis pro officiis Bonorum, ac Jurium quorumcumque, quos in dictis facultatibus comprehendimus, & mandamus, ſi modo quo ſupra fructus tam civiles, quam naturales Conducitoribus, & Affictuariis locati, & conceſſi per illos erunt percepti, quamvis termini ſolutionis affictuum per locatores fuerint poſticipatè conventi.

§. 2. Quare diſtinguendo inter ejuſmodi facultates, & privilegia jam conceſſa Cardinalibus adhuc viventibus, & quodcumque aliis in futurum concedenda illa favorabiliter ampliamus, & extendimus, ut intelligantur, ac ſervari præciſè debeant, æquè ac ſi formaliter emanſſent cum omnibus, & ſingulis extenſionibus, & ampliacionibus prædictis, eiſdemque illa eſſent de verbo ad verbum inſerta. Alia verò quæcumque in futurum concedenda ad eorum limites concipi omnino debeant, & pro ita conceptis intelligi, & obſervari, etiamſi diverſimoda, & contra eorum tenorem extenderentur.

Decretum irritans.

§. 3. Nos enim ita ſervandum lege, ac perpetuo valitura ſtatimus, & mandamus. Sicque & non aliter in præmiſſis omnibus, & ſingulis per quocumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam cauſarum Palatii Apoſtolicæ Auditores, & S. R. E. Cardinales, etiam Legatos de Latere, & Camerarios, ac ejuſdem Camera noſtræ Apoſtolicæ Theſaurarios, Præſidentes, & Clericos, Colleftores, Subcolleftores, Miniſtros, & Officiales quocumque ipſius Camera, in quavis cauſa, & inſtantia, ſublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & deſiniri debere, ac irritum, & quidquid inane ſecus ſuper his à quoquam quavis auctoritate ſcienter vel ignoranter contigerit attentari, vel obſervari.

Contrariis derogat.

§. 4. Non obſtantibus quatenus opus ſit noſtra de Jure quaſito non tollendo, cæteriſque aliis Cancellariæ Apoſtolicæ Regulis, decretiſque Cameralibus Apoſtolicæ etiam auctoritate confirmatis, & roboratis, necnon quibuſvis Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, etiam Julii

Tertii, & Urbani Octavi, & aliorum quorumcumque noſtrorum Prædeceſſorum conceſſis, etiam juramento, & quavis alia firmitate roboratis, ſtatutis, uſibus, ſtylis, & conſuetudinibus, etiam immemorabilibus. Quibus omnibus, & ſingulis, etiamſi pro ſufficienti derogatione eſſet opus de illis, eorumque totis, ac integris tenoribus ſpecialem, expreſſam, & individuum mentionem facere, ſeu quavis alia exquisita forma de neceſſario ſervanda foret, eorumque plenos, ac integros tenores pro plene, & ſufficienter expreſſis, & inſertis habentes, perinde ac ſi re ipſa præſentibus individualiter, ac de verbo ad verbum expreſſa, inſertaque forent, cæteriſque contrariis quibuſcumque ſpecialiter, & expreſſè derogamus.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, Anno Incarnationis Dominicæ 1668. pridie Kalendas Martii, Pontificatus Noſtri Anno primo.

Placet motu proprio I.

D. P. Ann. 1. die 28. Febr.

Confirmatio Congregationis ſuper ſtatu Regularium, ejuſque facultatum.

XX.

CLEMENS PAPA IX.

Ad futuram rei memoriam.

Edita An. D. 1668.

Injuncti Nobis cælitus paſtoralis muneris ratio poſtulat, ut paternam virorum regularium, qui abnegantes ſemetipſos Altiffimi Obſequiis ſe ſub ſuavi Religionis jugo devoverunt, ſollicitudinem gerentes, ea, quæ pro felici eorum ſtatu conſervanda, reſtituendaque, ſicubi excidit, regulari diſciplina, ac juvandis laudabilibus eorum ſtudiis, atque progreſſibus à Romanis Pontificibus Prædeceſſoribus noſtris provide conſtituta eſſe noſcuntur, Apoſtolicæ muniminis noſtri præſidio roboremus, & alias deſuper provideamus, ſicut ad Omnipotentis Dei gloriam, Religionis incrementum, ac ſpiritualem Fidelium ædificationem ſalubriter in Domino expedire arbitramur.

Proceſſum.

§. 1. Cum itaque dudum ſæl. record. Innocentius Papa X. Prædeceſſor noſter Congregationem nonnullorum S. R. E. Cardinalium, ac Romanæ Curie Prælatorum ſuper ſtatu Regularium inſtituerit, ipſique Congregationi ſic inſtituta intra fines Italiae, & Inſularum adjacentium deſignandi, ac deputandi pro Novitiatibus, & Profeſſoriis Conventus, Monafteria, Collegia, ac Domos quorumcumque Monachorum, ac regularium virorum cujuſvis Ordinis Mendicantium, Congregationis, Societatis, & Inſtituti etiam neceſſario exprimiendi, & hujusmodi Novitiatus, & Profeſſoria mutandi, transferendi, ſuſpendendi, & ſupprimendi, prout utilitas, & neceſſitas poſtularerit, & exigeret, dandi licentias Superioribus Regularibus, ad quos pertinet, recipiendi in Novitiatibus ſic deputatis Novitiis ad habitum, & Profeſſionem ſub regulis, & formulis ab eadem Congregatione jam præſcriptis, ſeu præſcribendis, præſigendi, ſeu taxandi numerum Religioſorum in ſingulis Conventibus, Monafteriis, Collegiis, & Domibus Regularium virorum eumque pro modo reddituum augendi, & minuendi, exequendi Conſtitutionem ejuſdem Innocentii Prædeceſſoris, quæ incipit Inſtauranda &c. editam Idibus Octobris Anno Incarnationis Dominicæ 1652. Pontificatus ſui Anno nono, necnon ipſius Innocentii Prædeceſſoris decretum, quod incipit, ut in parvis &c. Editum die 10. Februarii 1654. & decidendi controverſias emergentes inde, ac demum promovendi executionem, & obſervantiam Decretorum rec. mem. Clementis Papæ Octavi Prædeceſſoris pariter noſtri ſuper reformatione Regularium, & poſiſſimum quæ per-

Innocent. X. Congreg. inſtituit.

tenent

De paucitate
Congreg.
quaritur.

tinent ad institutionem, & educationem Novitiorum, & in præmissis omnibus etiam poenis, & censuris Ecclesiasticis procedendi facultates attribuerit.

§. 2. Nos considerantes Congregationem prædictam strenuè quidem, & fideliter, ac magno cum fructu in Ecclesia Dei hæcenus laborasse, sed ex Cardinalibus Congregationem ipsam constituentibus, de quorum numero antequam ad Supremi Apostolatus apicem divina dispositione assummeremur, eramus, solos de præsentibus superesse Venerabiles Fratres nostros Martium Portuensem, & Uldericum Tusculanum Episcopos Carpinum, & dilectum filium nostrum Marcellum Presbyterum S. R. E. Cardinales Sanctacrucium nuncupatos, ex Prælatibus autem nonnullos quidem ad Cardinalatus honorem promotos fuisse, alios verò ab humanis decessisse, solo superstitute dilecto filio Magistro Prospero Fagnano in utraque signatura nostra Referendario, qui ejusdem Congregationis Secretarius existit; alios tùm Cardinales, tùm Prælatos sapientia, prudentia, doctrina, charitate, integritate, & Religionis zelo eximie præditos in dictam Congregationem censuimus in Domino cooprandos.

§. 3. Motu itaque proprio, ac ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestate plenitudine prædictam Congregationem Cardinalium, & Prælatorum à memorato Innocentio prædecessore institutam, omnique & singulas facultates illis attributas, ut præfertur tenore signaturæ nostræ approbamus, & confirmamus, ac Apostolici muniminis præsidio corroboramus.

§. 4. Præterea prædictis Martio, ac Ulderico, & Marcello Cardinalibus dilectos filios nostros Nicolaum Ludovisium, Aloysium Homodeum, Petrum Othobonum, Laurentium Imperialem, Gihbertum Borromæum, Flavium Chyrium, Petrum Vidonum, Hieronymum Buonvisium, & Jacobum Presbyteros Rospigliosum nostrum secundum carnem ex fratre germano nepotem, ac Carolum Barberinum Diaconum ejusdem S. R. E. Cardinalem Carolum respectivè nuncupatos, necnon Venerabiles Fratres Stephanum Ugolinum Patriarcham Constantinopolitanum, Jacobum de Angelis olim Urbinate, Franciscum Mariam Phœbum Tarfen, Carolum de Vecchiis Athenarum, & Stephanum Brancaccium Adrianopolitanum Archiepiscopos, Mariam Fanum Cyronem, & Camillum Piazzam Dragonem, Episcopos, ac dilectos filios Magistros Bernardinum Roccium Palatii nostri Apostolici Præfectum, Franciscum Mariam Baranzonum, Mariam Alberitium, Petrum Franciscum de Rubeis, & Stephanum de Augustinis in utraque Signatura nostra Referendarios harum ferie adjungimus, eosque omnes, & singulos in Congregationem super statu Regularium prædictam adlegimus, & coopramus.

§. 5. Decernentes easdem præsentibus literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, nec subreptionis, vel obreptionis, aut nullitatis vitio, seu intentionis nostræ, aut interesse habentium consensus, aliove quolibet etiam formali, & substantiali defectu notari, infringi, retractari, aut in controversiam vocari, seu ad terminos juris reduci unquam posse: Sicque & non aliter in præmissis per quoscumque Judices ordinarios, & Delegatos etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. Cardinales, etiam de Lateri Legatos, & alios quoslibet quacumque præminencia, & potestate fungentes, & functiones, sublata eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quidquid secus super his à quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§. 6. Non obstantibus, quatenus opus sit, nostra, & Cancellariæ Apostolicæ regula de non tollendo jure quæsito, aliisque Apostolicis, ac in universalibus, Provincialibusque, & Synodalibus Conciliis editis generalibus, vel specialibus Constitutionibus, & Ordinationibus, necnon quorumvis Ordinum, & Congregationum, Societatum, ac Institutionum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, statutis, & consuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis eisdem Ordinibus, Congregationibus, Societatibus, & Institutis, illorumque Superioribus, & personis, & aliis quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, irritantibus, & aliis decretis in genere, vel in specie, vel alias quomodolibet in contrarium concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, & individua, ac de verbo ad verbum non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, tenores hujusmodi ac si de verbo ad verbum infererentur præsentibus pro plenè, & sufficienter expressis, & insertis habentes, illis aliàs in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expressè derogamus, ceterisque contrariis quibuscumque.

§. 7. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis eadem ubique fides in judicio, & extra adhibeatur, quæ præsentibus adhibetur, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub Annulo Piscatoris, die 11. Aprilis 1668. Pontificatus Nostri Anno primo.

Transumptio
fides.

Dat. P. An. i.
die 11. April.

Anno à Nativitate Domini Nostri JESU Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo octavo, Indictione sexta, die verò 24. mensis Aprilis, Pontificatus autem Sanctissimi in Christo Patris, & D. N. Domini Clementis Divina Providentia Pape IX. Anno ejus primo, supradicta Confirmatio affixa, & publicata fuit ad valvas Basilicæ Principis Apostolorum, Cancellariæ Apostolicæ, ac in acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Urbis per me Jo. Jacobum Pelliciam D. N. Pap. Curs.

Hilarius Cantellus Curs. Mag.

Privilegia, Indulta, Gratia, Facultates, & Exemptiones nonnullis Sanctitatis Sux familiaribus concessa.

XXI.

CLEMENS PAPA IX.

Ad perpetuam rei memoriam.

Edita An. D.
1668.

Venerabilibus Fratribus Stephano Ugolino Constantinopolitanum, & Jacobo Altovito Antiocheno Patriarchis, ac Francisco Nerlio Florentinum litterarum nostrarum in forma Brevis ad Principes Secretario, Jacobo de Angelis olim Urbinate, Francisco Mariæ Phœbeo Tarfen, & Bernardino Roccio Damasceno Archiepiscopis, Palatii nostri Apostolici, necnon Emilio Alterio olim Camerinen, Cubiculi nostri, & Ambrosio Landucio Porphyrien, Episcopis, Sacrarum nostrarum respectivè Præfectis, ac dilectis filiis Magistris, Francisco Mariæ Antaldo Urbinate, Joanni Muto de Papazurris Romano, Bernardino Cafatio Romano, Honophrio de Hippolitis Pistorien.

Nomina Familiarium ad quos concessio privilegiorum spectat.

Nestori

Clausulæ
preservati-
væ.